



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

CL. De modo dimittendi unum ex Assistentibus a Congregatione Missionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXLIX.

Indulgetur Votantibus Signaturæ Justitiæ, ut gestare possint semper, & ubique Galeri Redimiculum, Cordone vulgo nuncupatum, coloris violacei.

Alia hujus Const. ed. 1725. Maji 8. P. 1. concessus fuit usus Miræ aliorumque insignium Canonice Metropolitanæ Capnana.

Dat. 12. Julii 1727. An. 4.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis supremi gratiarum dispensatoris in Terris a Domino constituti providentia circumspecta, illos, qui continuos labores pro administranda Justitia ad publicam utilitatem, & Sedis Apostolicæ honorem in dies laudabiliter sustinent, & quorum fidem, industriam, prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit per quæ eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius majora eidem Sedi obsequia sua impendant, & in munus sibi demandatorum functione studiosius perseverent.

§. 1. Itaque ad egregia dilectorum filiorum Votantium Signaturæ nostræ Justitiæ in Nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem, aliqua honoris prærogativa condecorare volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, mera deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eidem Signaturæ Justitiæ Votantibus præsentibus, & futuris, ut ipsi omnes, & singuli Galeri redimiculum, Cordone vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibusvis functionibus, & actibus publicis, ac privatis ubique deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indultum prædictum.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminencia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Confirmatur Decretum Generalis Conventus Congregationis Missionis circa modum dimittendi a dicta Congregatione unum ex Assistentibus, si in culpam incidat.

De potestate Superiorum Congregationis Missionis in suos Subditos vid. aliam hujus ed. 1725. Sept. 17. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Bonnet modernus Superior Generalis Congregationis Missionis tam suo, quam totius ejusdem Congregationis nomine, quod in novissimo Generali Conventu Parisiensi anno 1724. convocato inter alios editum fuit quoddam Decretum, quo declaratur modus, & forma dimittendi a dicta Congregatione unum ex Assistentibus Superioris Generalis, vel ejus Admonitorem, si alteruter, quod Deus avertat, in culpam cadat, quæ juxta Constitutiones Congregationis dimissionem mereatur, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. *Conventus unanimi voce statuendum duxit, & statuit, imposterum Assistentem a Congregatione non esse dimittendum, nisi ad plura medietate suffragia ipsius Superioris Generalis, Assistentium, & Visitatorum, qui sunt in Europa, sicut pro ejus suspensione definitum fuerat in Conventu anni 1692. §. 12., aut si res dilationem non pateretur ad plura suffragia Superioris Generalis, Assistentium, Visitatoris Provincia, Superiorum quinque viciniorum Domorum, Secretariis, & Procuratoris Congregationis Assistentis Domus, si non sit ex Assistentibus Congregationis, & sex Sacerdotum, eorumque ratione vocatione antiquorum Domus, in qua commoratur Superior Generalis, quod nomine ejusdem Superioris Generalis, & totius Conventus a S. Sede confirmati est enixe postulandum.*

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Superior Generalis statutum, seu Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summo perere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Joannem Superiorem Generalem, specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum Decretum, seu Statutum auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, firmo tamen, & in suo vigore permanente Decreto, quo Nos dudum dimissionem quandam Petri de Hymbert tunc prædictæ Congregationis Assistentis approbaveramus, & confirmaveramus, quod denuo auctoritate, & tenore præfatis innovamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscum-

que

Dat. 11. Julii 1727. An. 4.

Expositio facta.

Decretum prædictum.

Preces Superioris Generalis.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.